



98








Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-345739-p0003-7

DFG



VITA
CLARISSIMI
PHILOSOPHI ET ME= 78.
DICI, Dn. VVOLFGANGI MEV-
RERI, COLLEGII MEDICI DE-
cani, & professoris publici in
Academia Lipsica

Descripta
a

M. Bartholomæo VValthero.



L I P S I A E,
Excudebat Abraham Lamberg
ANNO M. D. LXXXVII.



CLARISSIMIS ATQVE
HUMANISSIMIS VIRIS: Dn.
PHILIPPO IVRIS VTRIVSQUE DO-
ctori: M. Christophoro mathematum
professori in Acad. Lips. & medicinæ
candidato: & erudito juueni Ioanni
Theologiæ studioſo, MEVRERIS
FRATRIBVS, VVOLFGANGI
FFF. amicis suis hono-
randis.

*VOd lege Attica prudenter
constitutum, & religiosè
obseruatum legimus, vt in=
terfecti in prælijs oratione
solenni ad populū laudaren=*
*tur: id apud nos fieri multò magis decet, non
modo de his, qui in bello pro patria fortiter
pugnantes pulchram quidem, sed violentam
mortem oppetunt: verum etiam qui alijs a=*
nimi virtutibus excellentes, ac publicis mu=

A 2 neribus

P R A E F A T I O .

neribus præclarissimè perfundi, instar militum iussu Imperatoris, id est, Dei de præsidio & vitæ statione decedunt, & in actu, quod dicitur, moriuntur.

Nam Græcorum oratio splendide illa quidem elaborata, & alicui sapientia & autoritate præstanti ad id munus suffragijs populi delecto imposta, dirigebatur tum ad recolendam memoriam virorum fortissimorum, qui charitatem patriæ omnibus alijs rebus charissimis anteposuerunt: tum ad consolandos eos, quibus parentes vel liberi e-reptibello erant, quorum non poterant non sine acerbissimo doloris sensu meminisse: tum vero præcipue ad excitandos superstites, ut simili virtutis studio & amore erga patriam non dubitarent, quandocumq; opus esset, pro eius salute, more maiorū suorū, animo excelsō & hilari vel præsentissimum mortis periculum subire. Quod scilicet in ea Republica fieri

P R A E F A T I O.

fieri oportet, quæ non tam externo auxilio
nititur, quam per se suisq; viibus regitur &
conseruatur.

Nos vero edocimelius, quemadmodum
illa præclara instituta commendamus, & quo
ad eius fieri potest, sequimur: ita longè subli-
miora, & consolatione pleniora subiçimus:
quibus mortuum vivere, & sepultū excitatū
iri, & cadauer à vermibus consumptum im-
mortalitatē consecuturū piè credimus. Hinc
animus morientis in tristi partium coniun-
ctissimarum separatione, interdum etiam in-
ter grauiſſimos cruciatus corporis lætior, fi-
duciade vita meliore eaq; perpetua in media
morte certissima. Hinc viuorum mitius de-
ſiderium erga defunctos, efficacissima de fu-
tura diuturniore conuersatione consolatio.

Etsi autem hæc in omni Christianorum
obitu diligenter sunt cogitanda, tamen præ-
cipue in mentē venire nobis debet, cum effe-

A 3 rimus



P R A E F A T I O.

rimus corpora virtute, doctrina & sapientia
excellentissimorum virorum, de Republi-
ca, Ecclesijs & scholis optimè meritorum,
qui veluti columnæ fuerunt status publici
fatiscentis & iam iam ruinam minantis, &
quorum opera & consilijs in rebus nostris
priuatis subinde fuimus adiuti. Et profecto
tum demum nos miseri nostra intelligere in-
cipimus bona, quando quæ in potestate nostra
habuimus haud magnificimus, amissa frus-
tra requirimus.

Inter hos viros cum in Academia &
Repub. nostra non postremum locum habu-
erit pater vester Wolfgangus Meurerus
eximius medicus & philosophus, quem æter-
nus Deus rebus humanis exemit, & ex hac
œrumnosa & incerta in illam beatam &
sempiternam vitam transtulit: operæ preci-
um futurum arbitrabar, εἰ οὐ ἀνίσημος ὁ τῶ
τῆς ωλεως, διανή γνώμη τε δοκῆ μὴ ἀξιώτερος εἴη, καὶ ἀξι-
ώμεν

PRAEFATI^ON

ώντες πεοίκη, λέγει ἐπ' αὐτῷ ἔπαινον τὸν πεόποντα, ὅτι cum
Thucydide loquar, præsertim discipulorum
aliquis, quorum magnam copiam reliquit
virorum omnidoctrinarum genere clarissi-
morum, qui laudum præceptoris sui buccina-
tores idonei, & quidem iure merito esse pos-
sent, nisi forsitan alijs negocijs grauioribus im-
pediti in officio persoluendo vel inuiti tardi-
ores essent: vel quod domi elaboratum ha-
bent, mallent de industria suppressimere sibiq;
reservare, quam in publicum edere, & varia
de illis variorum iudicia experiri.

Quapropter cum me quoq_b licet infimum
intertanti viri discipulos grato animo profi-
tear, Cumq_b ipsa pietas iamdudum ad hoc
qualecumq_b officium præstandum me urgeat:
& tua Christophore diligens petitio quotidie
me instiget: ausus sum paucis quibusdam,
quæ mibi comperta essent de parentis vestri
meiq_b

P R A E F A T I O .

meiꝝ præceptoris vitæ curriculo compræ-
hendere, & vobis M EVRERI FRATRES
non tantum bonorum paternorum hæredi-
bus, sed etiam, virtutum & eruditionis imi-
tatoribus nuncupare, meaꝝ opera alios ex-
citare, vt quod à me omisſum est, ipsi comple-
ant, quodqꝫ crasso filo contextum adhuc rude
& leuidense prodit, adhilita censura elabo-
ratus perfectiusqꝫ reddant. Bene valete,
& conatum meum candidè interpretamini.
Lipsiæ mense Octobri anno Christi Jesu
M. D. LXXXVII.

Bartholomæus VValtherus.

D. VVOLFGANGI
MEVRERI VITA
DESCRIPTA

à

M. BARTHOLOMAEO VVALTHERO.

Nascitur VVOLFGANGVS
MEVRERVVS Aldenberga, quod est Misniæ oppidum,
Bohemiam vicinum, situm in
mōte arduo & vndiq; syluis cincto, cu-
ius radices alluit flumen rapidum Mu-
glitium, longo quidē tempore propter
stanni seu plumbi argentei venas satis
notum, viris tamen eruditione doctrinę
& sapientia præstantib. parum celebre
ad eum usque diem, quo in hanc lucem
editus est MEVRERVS, qui non aliter at-
que ARISTOTELES Stagiram, CATO
CENSORIVS Tusculum, patriam obscu-
ram conceptu satuque suo nobilitauit.

Huius pater VVOLFGANGVS, qui Ber-

a

reuto

reuto ex superiore Palatinatu Alden-
bergam aduenerat Anno Christi 1488,
venarum metallicarum studio permo-
tus, arte sua, quam ex patre IOANNE CIUE
Greslicensi viro honesto didicerat, opes
mediocriter magnas sibi comparauit,
talemque se erga incolas gessit, ut breui
temporis spacio præcipuis in Collegio
iuratorum ad res metallicas muneribus
fuerit laudabiliter perfunditus, eoq; no-
mine gratus Principi Saxoniæ G E O R-
GIO, vir ingenti pietatis zelo animique
magnitudine, & quæ ciuium huius loci
peculiaris virtus est, hospitalitate ac be-
nevolentia erga peregrinos: licet ex in-
cendio, quod totum ferè oppidum ab-
sumpsit, magna opum facta esset dimi-
nitio.

Hoc parentenatus est VVOLFGANGVS
MEVRERVs XXIII, Maij, Anno Christi
Iesu 1513. ex ELIZABETHA REVTERA,
quod cognomentum eti Philippi
Melan-

D. VVOLFGANGI REVRE.

MELANTHONIS matrisset: tamen
vterque de hac cognatione in familiari-
bus colloquijs s̄apenumero sollicitus ni-
hil temere affirmare ausus est, licet alias
studijs & animis essent coniunctissimi.
Quod enim in societate ciuili s̄apenu-
mero v̄su venire solet, vt corundem no-
minum homines confluant, modo qui-
dē diuersis in locis habitantes, de prima
autem origine incerti, cum non tantum
aliqui priuati, sed etiam totæ familiæ,
imò populi, vel fortunæ iniquitate, vel
certo quodam iudicio sedes patrias reli-
querint, & alias occuparint: minime mi-
rum est in REVTERORVM familia idem
cōtigisse. Præter VVOLFGANGVM ex
eadē cōiuge suscepit alios io. liberos, tres
masculos, septem fœmellas, quarū duas
in prima infantia amisit, reliquæ elocatæ
omnes fuerunt viris metallicis: Inter fi-
lios verò solum IACOBVM habuit artis
fux successorem, qui in vallibus Ioachi-

a 2

micis



micis postea consedit, alij tres artibus
liberalibus dediti Reipub. & Ecclesijs
postea vtiliter inferuierunt. VVOLFGANGVS,
de quo hic sermo est, in studio Philosophico & Medico:
GEORGIVS & IOANNES in Theologia, quam
ille apud Schnbergenses, hic apud Ne-
prauicenses integrè & fideliter docuit.

Eluxit autem in primis VVOLFGANG-
GI MEVRERI annis præclara in doles &
animus studijs maioribus aptus, quām
essent paterna. Itaque Scholam patriam
cupide frequentare, & Præceptores at-
tentè audire, & audita diligenter domi-
ruminare. Hoc ocium literarium, vt fi-
lio iucundum, ita patri laboribus assi-
duis ijsque manuarijs assueto molestū
esse cœpit, quod arbitraretur illam inter
libros & chartas assiduam conuersatio-
nem, quandam desidiam & laborum
fugam secum attrahere. Et haud dubiè
literas deserere, & operis metallicis in-
cum,

D. VVOLFGANGI MEVRERI.

cumbere coactus fuisset filius VVOLFGANGVS, nisi anno ætatis XI. vix tandem hoc permittēte patre, Pirnam mis-
sus esset, vbi tum bonas literas docuit IOANNES SCHADIVS, vir moribus
grauis & opinione eruditæ doctrinæ,
prout illa erant regionum nostrarum
tempora celebris, à quo Græca coniun-
gebantur Latinis, raro illius illiterati se-
culi exemplo. Præter magistri eruditio-
nem & diligentiam crebrò solitus est
MEVRERVVS commendare ciuum Pir-
nensium in peregrinos scholasticos li-
beralitatem, quam ne nunc quidem pa-
tiuntur minui, præsertim erga eos, vbi
beneficium non malè sentiunt colloca-
ri. Ex Schola Pirnensi Dresdam migra-
uit, impulsus fama IOANNIS SCHEFF-
ELII, qui eo tempore & loco ludum
regebat literarium, & postea Lipsiæ Iu-
ris utriusq; Doctor factus præter consu-
latum, quem aliquot annos gessit præ-

a 3 clarè



clarè, amplissimis in Academia perfundit
et usus est honoribus. Neque enim illo te-
culo turpe habebatur prius in Scholis
exerceret eos, qui postea in Ecclesijs & A-
cademijs essent publica consensuri pul-
pita, quin potius magno sibi adminicu-
lo illam fuisse palæstram multi magni
viri sunt liberè confessi. SCHEFFELIVS
autem MEVRERV M & propter ingenij
bonitatem, & propter studium diligen-
tiæ multum amavit, suiq; amoris argu-
mentum esse voluit Græcum noui Testa-
menti codicem, quem discipulo fla-
grantistudio Græcæ linguæ dono dedit,
quemque MEVRERV S in aliorum Græ-
corum autorum defectu nunquam de-
manibus tum deposuit, & postea ob
pietatem in DEV M, & gratitudinem er-
ga præceptorem semper magnifecit.
Atque erant in hoc studio Græcarum li-
terarum MEVRERI tanti progressus, tan-
taq; de ijsdem magistri existimatio, vt
ado-

5125

D. VVOLFGANGI MEVRERI.

adolescentulū natu grandioribus con-
discipulis præficeret, ciꝝue prælectio-
nem fabularum Æsopi Græcarum com-
mitteret, quo conatu cum seipsum do-
ctiorem reddidisset, & insuper Magistri
amorem, condiscipulorum admiratio-
nem sibi conciliaasset: Paulò pōst Lipsi-
am tanque ad vberiorem literaturæ
mercatum se contulit, vbi primos stu-
diorum fructus percepit. Nam eruditæ
doctrinæ qualicunque copia coniuncta
cum pictate & modestia facilè sibi ami-
cos inuenit, & patronos comparauit
tum alios tum in primis præpositū Mo-
nasterij D. THOMÆ, quem adeo fauen-
tem habuit, vt iuniores monachos ab
hoc solo vellet in Græcis literis erudiri.
Non ita multo post Scholæ Thomianæ
Rector constitutus est CASPAR BORNE-
RVS vir in studijs humamanitatis appri-
me doctus, de re nostra literaria optime
meritus. Huic multum placuit MEV-
RERI



RERI ingenium, eruditio & diligentia,
ideo cum sibi adiunxit, & laborū Scho-
laſticorū ſocium eſſe voluit, eiq; ſupre-
mum poſt ſe locum inter Collegas aſſi-
gnauit. Et retinuit BORNERVS ad altio-
ra cuectus eundem erga M E V R E R V M
animum. Neque minor obſeruantia
M E V R E R I erga BORNERVM fuit, quem
veluti alterum parentem amare, & vt
patronum ſumnum colere omni vitæ
tempore, etiam abſens non deſtitit. Te-
ſtantur hoc literæ ex Italia ſcriptæ, qui-
bus & ſtudiorum & temporis & ſum-
ptuum rationem reddit, illiusq; conſili-
um in rebus grauissimis expetit.

In hiſ ſcholaſticis pulueribus ſibi diu-
tiuſ immorandum eſſe M E V R E R V S non
putauit, ſed animum ad maiora appulit,
&, quid in Academia doceretur, inquiſi-
uit, ac iuxta præſcriptum illius ordinē,
ſtudiorum ſuorum curriculū instituit.
Vnde eam ſibi ſtudij Philosophici ſupel-
lecti-

D. VVOLFGANGI M E V R E R I.

lectilem comparauit, quæ sufficeret ad primam lauream testimonio publico reportandam. Nam cum rerum cognitione orationis puræ & elegantis studium coniunxit, versus etiam scribere non infeliciter tentauit, & compos voti sui factus est anno ætatis 18. Decano HENRICO GODESCHALCO. Cumq; præ alijs harum regionum Academijs plerisq; ne dicam omnibus, disputationum publicarum exercitium à maioribus prudenter institutum diligenter à grata posteritate conseruetur: M E V R E R v s iam Bacularius factus, cui deinceps & præsidi publicè, & conferendi de aliorum proposita materia munus esset impoñendum: non tantū loca doctrinæ publicæ & disputationū frequentare, & alios conferentes diligenter audire, sed etiam domi inter priuatos parietes cum suis amicis de studijs familiariter colloqui, & nonnulla in disputationem voca-

b

re, cui



re, cui exercitio singulis septimanis dies
Saturni peracta cœna erat destinatus,
quando præsidente aliquo ad id præpa-
rato reliqui placidè conferebant, tum vt
veritatem elicerent, tum vt sese tyronū
instar ad futuram pugnam præpararent.
Hæc priuata patiorum diligentia plures
excitauit, eosq; impulit, vt sese his ad-
iungerent, à quibus etiam benignè sunt
admissi usq; adeo, vt loci angustia coge-
ret eos de loco capaciore esse sollicitos,
& autoritas Magistri, cui esset noui col-
legij curatio commissa, permitteret illis
locum doctrinæ publicæ. Vnde factum
est, vt pluribus concurrentibus partim
rei nouitate, partim studio discendi im-
pulsis, quæ hactenus erant in vniuerscuius-
que voluntate positæ συζητίσκε, postea legi-
bus astringerentur, & in singulis colle-
gijs institui iuberentur eodem die ea-
demq; hora, quæ adhuc obseruantur re-
tentio quidem nomine vespertinarum
dispu-

D. VVOLFGANGI MEVRERI.

disputationum, sed mutata hora, nescio
cuius religioso instituto. In hac disputa-
tionum palæstra cum sese M E V R E R V S
totos annos tres exercuisset, cumq; stu-
diorum ordinem secutus fuisset, qui est
præscriptus: summum in Philosophia
gradum petijt, quem consecutus est fa-
cile à Censoribus studiorum & morum
rigidis illis acceptueris, & eodem habuit
autores & promotores ut amplissimus
Senatus Lipsensis huic nouo Magistro
non ambienti, imo ne speranti quidem
permitteret gubernaculum Scholæ Se-
natoriæ ad D. NICOLAV mapertæ, quā
rexit annos sex in magna discipulorum
frequentia, & ex qua prodierunt multi
omnium ordinum viri præstantissimi,
quorum opera fructuosa fuit non modò
harum regionū Ecclesijs, Scholis & Re-
bus publicis, sed etiā exterarum. Etsi au-
tem hæc schola non minus est astricta
arctissimis disciplinæ vinculis, in qua &

ferulæ quoq; sunt metuendæ contumacibus & negligentibus: tamen proprius ad Academiæ libertatem accedit, cuius Rector vel est Professor Academiæ publicus, vel certè unus de Consilio Facultatis Philosophicæ, cuius discipuli immunes sunt ab oneribus, quæ alios ferre oportet scholasticos, & pleriq; studiosi sunt, quorum nonnulli ad publicam doctrinam audiendam admittuntur, nonnulli prima laurea ornati non dedignantur. Magistris suis docentibus vñà cum alijs assidere, quorum magnam copiam prescriptam inuenimus inter M E V R E R I discipulos. Qua fide huic muneri præfuerit, & ij possunt testari, qui adhuc in viuis sunt, quiq; annorum adolescentiæ ac huius institutionis recordantur: & libellus ostendit in principio huius institutionis à M E V R E R O conscriptus & discipulis propositus, nondum tamen in lucem editus: DE RATIONE ET
ORDI-

D. VVOLFGANGI MEVRERI.

ORDINE STUDIO^RV M RECTE
INSTITVENDO: Quem optandum
esset manibus studiosorū teri quotidiē:
ita enim maiori cum fructu studiorum
curriculum instituerent, institutum feli-
cius cōsummarent. Dum enim præ ino-
pia consilij per omnia doctrinarum ge-
nera veluti in amplissimo rerum amœ-
nissimarum campo hin de vagantur,
in copia inopes, plerumq; inanes domū
redeunt, de qua remora scimus conque-
stos esse multos viros clarissimos, qui
suo exemplo alios ab illa vagabunda
studiorum ratione sunt dehortati.

Cum hic esset MEVRERV S qualem
diximus, quadriennio post vnanimi
consensu & fideli statutorum obserua-
tione cooptatus est in numerū collega-
rum Collegij Principis minoris, succef-
for GASPARIS BORNERI, qui trans-
latus fuerat in Collegiū Principum ma-
ius, cuius sunt redditus ampliores. Et

b 3 fuit



fuit hæc successio initium alterius, quando post annos nouem in mortui BORNERI locum idem MEVRERVs fuit promotus. Atq; ita BORNERVs, quem in principio laborum Scholasticorum habuit socium, publicorum commodorum successorem viuens singulari cum voluptate sensit & moriens magno cum desiderio optauit.

Particeps huius commodi factus MEVRERVs, de Academia etiam publicè benè mereri voluit, cum hactenus pueritiæ primæq; adolescentiæ sua opera maximè se inseruissse animaduerteret. Neq; enim ignauia hi reditus Illustriss: Principum munificentia fundati sunt, & sudoribus antecessorum amplificati, sed studio iuuandi rem literariam tum in alijs, tum præcipuè in studijs humanitatis, quorum magistris etiam peculiariiter sunt destinati. Itaq; cum locum sibi in consilio communitatis studij bonarum

narum artium peteret: & receptus fuit
libenter, & honestissimo Collegio stu-
dium esse ornamen^to. Erat ijs tempori-
bus ea profitendi Philosophiam ratio, vt
ex Collegio Philosophico singulis seme-
stribus forte eligerentur, quibus doctri-
na publica committeretur. Cum enim
collegæ essent plures, stipendia Profes-
sionum pauciora & exigua: cumq; o-
mnes digni haberetur hoc docendi mu-
nere: ea fuit à maioribus via inuenta,
quæ neminem passa est illo honore &
emolumento carere, nisi cui D E V S &
fortuna inuidet. An crebra hæc Pro-
fessorū mutatio studioræ iuuentuti pro-
fuerit nec ne, iam non dispu^to, quia hu-
ius loci non est: hoc saltem dico, illam
confuetudinem post paucos annos fu-
isse immutatam, & certis quibusdam
commissa ea, in quibus explicandis tan-
tisper versarentur, donec aut ipsi dece-
derent, aut collegio nostro Philosophi-
co aliq;

co aliter visum fuisset. Proposuit igitur
in Academia studiosæ iuuentuti eo re-
rum statu MEVRERV modò aliquid ex
paruis naturalibus ARISTOTELIS, mo-
dò ex Metaphysicis, modò ex libris de
anima, & paulò pòst vnanimi Electorū
consensu, Decani munus illi est impo-
situm, vt gubernaret totius studij Philo-
sophici cursum, quod præstitit fide sum-
ma, prudentia singulari: Et quoniam
præ alijs Philosophiæ partibus, quas ta-
men non oscitanter neglexit, aut super-
bè contempsit, tum natura sua, tum sorte
professionum, in eam potissimum incu-
buerat, quæ in naturæ obscuritate caus-
sisq; illius & effectis versatur, & Mathe-
maticis disciplinis. insuper diligentem
operam dederat: super illud fundamen-
tum, quod iam probè iactum fuit, cogni-
tionis vtriusq; linguæ, doctrinæ Physicæ
& Mathematicæ, extruere cœpit artem
medicam, in qua addiscenda Præcepto-
ribus

D. VVOLFGANGI MEVRERI.

ribus vsus fuit in hac Academia HEIN-
RICO STROMERO, GEORGIO SCHIL-
TELIO, IOANNE PFEILIO, SEBASTIA-
NO ROTHÄ, alijsque illius temporibus
medicis clarissimis, quos & docentes
publicè audiuit, & priuatim consuluit,
& post primum in medicina gradum
præside SEBASTIANO ROTHÄ, disputa-
tionis amplissimæ de anima eiusque fa-
cultatibus, publicè ad argumenta obie-
cta respondit, & suorum progressuum in
hoc studiorum genere edidit specimen
illustre, quos etiam explorare & com-
mendare non dubitauit PHILIPPVS M E-
LANTHON, qui hanc disputationem sua
præsentia & obiectionibus ornauit.
Cumque intelligeret studium anatomes
in primis necessarium esse Medico, non
modò libros Anatomicos diligenter e-
uoluit, sed etiam operum naturæ inspe-
ctor oculatus esse voluit. Quoties igitur
vel à nostratis Germanis, vel ab exte-

C ris,



ris, vt EVSTATHIO QVERCETANO Gallo, fortè Lipsiam transeunte: vel ab APOLLONIO MASSA Italo, ad aliquod tempus in his regionibus cōmorante, ac medicas manus cuidā illustrissimo corpore adhibente, occasio inspiciendi sectionē corporis humani se offerret, tam hīc, quām in vicinia, illā arripuit audē; & quæ dicebantur tam ab anatomico, quām aliis Medicis notatu digna exceptit studiosè, cuius diligentia testis est lis bellus, quem ex talibus obseruationibus conscriptum reliquit.

In hoc pleno artis medicæ cursu mira incessit MEVRERVM cupiditas visendi Italiam, quam sciebat florere viris solidè doctis in omni scientiæ genere. Itaque propriis sumtibus cum VVOLFFGANGO VVERTERO, VLRICO MORDISIO, IOANNESPREMBERGERO, & GEORGIO FABRICIO iter ingressus est, & primum appulit Patauium, ibiq; se totum

D. VVOLFGANGI MEVRERI.

tum tradidit arti medicæ, exceptis ijs
horis, quas in studia humaniora & Phi-
losophiam impendit, quorū Professores
tum temporis erāt LAZARVS BONAMICVS
& M. ANTONIVS IANVA. Quoscunq; autē
sibi audiendos putauit, eorum beneuo-
lentiam vera ratione quæsiuit, præcepto-
rum obseruantia, literarum amore, veri
rectiō; studio. Hinc peritissimus eius se-
culi Anatomicus, ex inferiori Germānia
in Italiā vocatus, ANDREAS VESALIUS Bru-
xellensis illum suum appellauit: excel-
lentissimus Medicus IOANNES BAPTISTA
MONTANVS vt filium dilexit: M. MONTA-
GNANA, quandocunq; medicinam fecit,
comitem sibi adiunxit: Eximius studio-
rum humanitatis Doctor LAZARVS Bo-
NAMICVS inter familiares habuit, reliqui
omnia humanitatis officia prolixè illi
obtulerunt.

Neque satis habuit, fines Italiæ atti-
gisse, sed cum VVERTERO & FABRICIO

c 2 totam



V I T A

totam penè illam oram peragrauit, in
qua peregratione sibi etiam VALE-
RIVM CORDVM EVRICIIF. adiunxit,
cum quo altissima montium cacumi-
na, rei herbariæ studio perreptauit. Ac
cùm Romæ aliquantis per substitisset, si-
bique ALPHONSI FERII, Professoris Chi-
rurgiæ: JOSEPHI CINTHII simplicium
explicatoris, nec non LVCAE GAVRICI
excellentissimi Astronomi, aliorumque
benevolentiam & charitatem conciliaf-
set: Neapolim profectus est, vbi inter
Philosophos præ aliis SIMONEM POR-
TIVM: inter Medicos BRANCALEON-
TEM prædicauit, vndè & alia Italiæ loca
& illustres Academias perlustrauit, illa-
rum Professores publicè audiuit, domi
salutauit, Bononiæ LUDOVICVM BVC-
CAFERRVM Philosophum: Ferrariæ
ANTONIVM MVSAM, & HIERONYMVM
FRACASTORIVM, medicos. Florentiæ
MATTHAEVM CVRTIVM medicū, & P.E.

TRVM

D. VVOLFGANGI MEVRERI.

TRVM VICTORIVM de philosophia & li-
teris humanioribus præclarè meritū, &
si quid visu dignum esset, audiissimè co-
gnouit, diligentissimè narrauit. Longum
esset referre singula, quæ qui desiderat, is
legat itinera GEORGII FABRICII Itali-
ca, quorum comes individualius MEVRE-
RVS fuit, & quem unicum voluit autor
esse huius operis censorem & emenda-
torem. Contigit autem illis annis, qui-
bus MEVRERVS in Italia fuit, vt M A V-
RICIVS Dux Saxonie, post obitum pa-
tris HEINRICI, & de Republica recte in-
stituenda, & de Ecclesijs ac Scholis harū
regionum reformatiis diligentem cu-
ram susciperet, præcipue vero de Acade-
mia Lipsensi sollicitè cogitaret. Itaque
utriusque linguae Professorem IOACHI-
MVM CAMERARIUM Tubinga accersi cu-
rauit, & Vuiteberga GEORGIVM IOA-
CHIMVM RHETICVM, excellentissimum
Mathematicum. Cumque adhuc desi-

C 3 derare,



¶ T A

deraretur eximius quidam Philosophiæ
Aristotelicæ explicator, qui solidè & so-
briè eam doceret hactenus intricatam
spinosis quorū idam disputationibus,
& ex interpretum lacunis potius, quām
veris fontibus! austam: præ multis aliis
MEVRERVS abiens dignus visus est illo
loco & munere. Itaque literis publicis,
consultore PHILIPPO MELANTHONE, à
Collegio Philosophico ad hoc munus ex
Italia euocatus, licet ex medio studio-
rum cursu retraheretur, tamen paruit li-
benter, & doctrinam Aristotelicam pro-
fessus est fideliter annos integros xxvii.
neque ab illo munere discessisset, nisi au-
toritate amplissimi Collegij medici, in
demortui Decani dignitatem & profes-
sionem successisset, quod munus cùm
requirat non solum Theoria eximum
medicum, sed etiam praxi celebrem:
MEVRERI studio & labore totos annos
x i v. est laudabiliter & integrè admini-
stratum.

D. VVOLFGANGI MEVRERI.

stratum. Quæ spes de M E V R E R O ad arduam hanc prouinciam administrandam vocato erat à tota Academia Lipsensi concepta, eam ille sua eruditio- ne, diligentia & docendi ordine ac perspicuitate longè superauit. Ideoque in dies maior studiosorum concursus fiebat, ad eximum illum Philosophum audiendum, & multi clari in Academia vi- ri, imò magnus ille PHILIPPVS MELAN- THON Vuiteberga adueniens non rarò cum IOACHIMO CAMERARIO visus est locum doctrinæ illius accedere, & sua præsentia nouum Professorem per se sa- tis commendatum, auditoribus & toti Academiæ reddere commendatiorem. Multum enim valet ad studiosam præ- fertim adolescentiam iudicio carentem præclara magnorū virorum de docenti- bus existimatio. Hinc indies M E V R E R I autoritas magis magisque crescebat in- ter collegas suos, qui illū paulò pòst ido- neum



V I T A

neum iudicabant, ut loco Cancellarij
Academiæ, quod Episcopi Martispur-
gensis peculiare est officium, totum actū
promotionis eorum, qui summo in arti-
bus humanioribus gradu erant deco-
randi, gubernaret ex clemētissima con-
cessione AVGVSTI Ducis Saxonie co-
tempore administratoris Politici eius
diœcesis, cùm coadiutore esset rerum Ec-
clesiasticarum GEORGIVS Princeps An-
haltinus. Hæc causa fuit, quod vndiqua-
que viri docti eius amicitiam expete-
rent, tam apud nos, quam in alijs Ger-
maniæ locis. Inter nostros præcipui fu-
erunt CASPARVS BORNERVS, quem vt
patrem coluit: IOACHIMVS CAMERA-
RIVS, IOHANNES PEEFFINGERVS,
ALEXANDER ALESIVS, HEINRICVS
SALMVTHVS, LEONARTVS BADHORN,
VICTORINVS STRIGELIVS, quos
nontantum rebus secundis amauit, sed
etiam in aduersis nunquam deseruit,

Vuite-

D. VVOLFGANGI MEVRERI.

Vuitebergæ LVTHERVVM, MELANTHO-
NEM, IVSTVM IONAM, PEVCERVUM: Ti-
guri GESNERVM: Tubingæ FUCHSI-
VM & SCHECKIVM: Argentorati STVR-
MIVM & GERBELIVM amicissimos ha-
buit. Quid dicā de VVERTERIS, NAEVIIS,
FABRICIIS fratribus? quid de aliis aliorum
locorum viris celeberrimis, quorum po-
stremus non est GEORGIVS AGRICOLA
rērum metallicarum scriptor nobilissi-
mus? Dies profecto me deficeret literis
legendis, quæ sunt apud hæredes virorū
præstantissimorū, quibus singularē amo-
rem suum in MEVRERVM nostrū sunt te-
stati, & magnā ingenij & eruditionis lau-
dem illi tribuerunt. Apud externos verò
quam semel contraxit amicitiam hu-
manitate & candore suo, eam constātis-
simè retinuit, & coluit sanctissimè. Te-
stes sunt literæ PAVLI MANVTII Vene-
ti, APOLLONII & NICOLAI MASSÆ, me-
dicorum excellentissimorum, & LVCAE

d GAY.



GAVRICI Astronomi Romani, qui non
dubitauit epistolam MEVRERI, propter
ea quod ex Ciceroniano fonte, vt ipse
loquitur, esset deducta, tum aliis viris
doctis, tum verò ipsi summo Pontifici
legendam dare. Sed ne ab institutoloni-
gius digrediar, redeo ad MEVRERVUM,
cui annus ætatis 35. multum honoris
& autoritatis attulit. Etsi enim tum
propter urbis obsidionem, tum propter
contagium, quod obsidionem est secu-
tum, vna cum aliis quibusdam Professo-
ribus publicis ijsque præcipuis Lipsia se-
cesserat: tamen cum fato functus esset
CASPARVS BORNERVS, absens ex Colle-
gio Principis minori in maius est trans-
latus, quod antea quoque diximus, cùm
prensationes & ambitus legibus etiam
prohibiti nondum essent vñitati. Cumq;
post illam honoris accessionem reuerte-
retur ad operas publicas, hiberni seme-
stris Rector ynanimi electorum consen-
su factus

D. VVOLFGANGI MEVRERI.

su factus est, quod munus graue ea gesit fide & diligentia, vt sequentibus annis vna cum IOACHIMO CAMERARIO, grauissimis de Republica nostra literaria deliberationibus interesset, eamque opera & consilio suo stabiliret, augeret, amplificaret, ornaret.

Hi labores & curæ publicæ priuata ipsius studia neutiquam impedierunt. Nam cùm se arti medicæ deuouisset, & tam in Germania, quam Italia ætatis florrem in ea consumpsisset: anno sequenti, qui fuit ætatis 36. cum BLASIO THAMMULLERO, & BALTHASARE CLEINIO, medicinæ Doctor publica renunciatio, ne creatus, & ad amplissimum medicorum Collegium cooptatus est. Ac licet multos adhuc annos in explicandis ijs, quorum gratia ex Italia fuerat euocatus, versaretur: tamen utrique collegio fidem datam seruauit integrè, docendo Philosophica & faciendo medicinam,

d 2 & si



& si quando occasio offerebatur, inquisiendo in studia candidatorum medicinæ, quibus etiam clementissima concessione MICHAELIS Episcopi Martifurgensis, tam infimos, quam summos honores attribuit. Tantus autem Academicæ & libertatis Academicæ in amor fuit, ut ex celso animo plurimas occasionses sperneret perueniēdi ad amplissima munera. Cum enim aliquando magni alicuius viri literis benignissimè admoneretur, ut vitæ illi vmbra tili, quā hactenus egerat, splendorem aulicum præferret: negauit se alterius esse velle, cùm suus esse posset. Vnum adhuc de- erat MEVRERO, vt qualis esset ipse, tales quoque de se genitos relinqueret, quibus in hac vita mortali quandam sibi immortalitatem pareret. Quare post serias preces & multas deliberationes cum amicis cœpit cogitare de coniugio, cuius domum sedemque sibi delegit familiam.

D. V V O L F G A N G I M E V R E R I.

liam antiquissimam & celebrem BLASE-
BALGIORVM, & autoribus PHILIPPO MĒ-
LANTHONE ac IOACHIMO CAMERA-
RIO, tanquam pronubis in matrimoniu-
duxit virginem pudicissimam & lepidissi-
mam MARGARITAM, filium CHRISTO-
PHORI BLASEBALGII. Hic nepos fuit
IACOBI Ädilis Lipsensis, qui pro sin-
gulari erga Ecclesiā & literas amore, de
suo legauit certos redditus, quibus vte-
rentur adolescentes ex sua familia apti
ad studia pietatis & bonarum artium.
Huius viduam APOLLONIAM duxit in
matrimonium IOANNES à Vvidebach,
cuius beneficam in pauperes liberalita-
tem Lipsiæ quotannis statu die expe-
riuntur multa millia hōminum. Cum
hac MARGARITA in coniugio vixit an-
nos xxvi. & ex illa procreauit liberos
nouem, filios sex & tres filias, ex quibus
adhuc superstites sunt tres filij: PHILIP-
PVS iuris ytriusque Doctor: CHRISTO-

d 3

PHORVS



PHORVS Mathematum Professor in Academia Lipsica, medicinæ candidatus: & IOANNES Theologiæ studiosus. Præter ea duæ filiæ, quarum alteram MARGARITAM habet in matrimonio BARTHOLOMAEVS SVSMILCH Senator Lipsensis, alteram CLARAM GEORGIVS BOLMANNVS Fribergensis. Reliquos vel infantes amisit, vt CHRISTOPHORVM & ZACHARIAM, quorum vterque cum fratre gemello natus obijt relicto altero superstite: vel in ætatis flore, vt M. V VOLFFGANGV 25. annorum iuuenem egregium, & ad omnia summa natum, & ANNAM virginem annum agentem 20.

Quam bonus autem paterfamilias fuerit, & diligēs rerum domesticarū administratio, & coniugij suauitas, & liberorum pia ac liberalis educatio ostēdit, Familiam ita tractauit, vt alacriter domino etiam absenti fidem datam præstaret, studiumque probaret, Coniugem pluri-



D. VVOLFGANGI MEVRERI.

plurimum amauit, eamque singulari co-
mitate coniuncta cum grauitate tracta-
uit. Animaduertit enim sibi eam con-
tigisse vitæ sociam, quam pietas Deo
commendabat: humanitas, benignitas,
candor, æquitas hominibus in commu-
ni vita: pudicicia, sedulitas, taciturnitas
marito. Liberis masculis pædagogos
præfecit, & ad eorum studia ac mores
ipse quoque subinde respexit. Cumq; re-
cordaretur quanto sibi usui fuisset con-
uersatio cum exterarum regionum viris
clarissimis: PHILIPPVM iam philosophiæ
magistrum factum, & in iuris studio ali-
quot annos versatum in Italiam misit,
quem magno cum gaudio vidit reuer-
sum, ac publico testimonio ornatum: in
illa loca etiā missurus filium CHRISTO-
PHORVM, nisi publicum docendi munus
in Academia huic impositum consilium
patris mutasset. Filias matri educandas
reliquit, quam sciebat optimam earum
virtu-



VIRTUTUM ESSE MAGISTRAM, QUAS IN HOC SE-
XU OPORTET CLUCERE. HANC SUAM CHARIS-
SIMAM CONIUGEM CUM PESTE EXTINCTAM
AMISISSET: IN LUCTUS ACERBITATE, VIDUITATE
& SOLITUDINE RELIQUUM VITÆ DECENNIA
TERERE MALUIT, QUAM SIBI MOLESTIAM, LI-
BERIS NOUERCAM, REI FAMILIARI CALAMITA-
TEM ACCERSERE.

VIDIT TAMEN CONIUNX MARITUM NO-
MINE & RE SENATOREM IN REPUB. LIPSENSI
EO TEMPORE, QUO MAXIMEILLA ABUNDAVIT
VIRIS DOCTIS & SAPIENTIBUS, IN QUORUM
GUBERNATIONE PLATO BEATITUDINĒ COL-
LOCAT CIUITATUM. HUIC DIGNITATI PAULÒ
PÒST LONGÈ MAIOR ACCESSIT, CUM MORTUO
NOBILI & AMPLISSIMO VIRO, D. MARTINO
DREMBACHIO COLLEGIJ MEDICI DECA-
NUS ESSET FACTUS, & RELICTA PHILOSOPHIA
MEDICINAM DOCERET, QUAM HACTENUS
MULTOS ANNOS FECERAT, ARTEM IUVANTE IU-
DICO, CONFIRMANTE EXPERIENTIA, & SE-
QUENTE FELICITATE.

In hac

D. VVOLFGANGI MEVRERT.

In hac statione dum sanctè & integrè
persistit, & Dei benedictionem, & Prin-
cipum in Repub. virorum gratiam, & di-
scipulorum obseruantiam, & ciuium
gratitudinem prolixè est expertus, donec
tandem annis & curis satur, deficienti-
bus corporis & animi viribus, ex hac mi-
sera & caduca vita ad illam beatam &
æternam euocatus, in vera inuocatione
Filij Dei, quem omni vitæ tempore vni-
cum salutis autorē, & perpetuum apud
æternum patrem intercessorem religio-
sè coluit & constanter est confessus, pla-
cidè obdormiseret vi. D. Febr. anno
Christi Iesu M. D. LXXXV. C. V. Ann.
LXXI. M. VIII. D. XIII. H. X. Corpus
eius honorificè sepultum est in templo
Paulino ad latus cōiugis & filij VVOLF-
GANGI, concionem funebrem habente
VVOLFGANGO HARDERO, S. Theo-
logiæ D. & Pastore templi ad D. Nico-
laum

vomom

c

laum

V I T A

Iaum, qui pro primis literarum initijs,
quæ ex hoc magistro didicerat, hoc ultissimum
gratitudinis officium animo quicunque
dem promptissimo at mœstissimo præ-
sttit. Funus curatum ita, ut ex luctu pu-
blico, & omnium ordinum singulari
planctu, & comitatu frequentissimo ap-
pareret, scholam nostram magno præsi-
dio, Rempub. ornamento, ciues adiu-
mento fuisse orbatos. Et est cum ipso
quidem actum præclarissimè. Nam
grauissimis curis & molestijs liberatus,
maioribusque periculis impendentibus
exemptus, modò viuit vitam felicissi-
mam & sempiternam, in perpetuò con-
spectu Dei, & iucundissima piorum ho-
minum Angelorumque conuersatione.
Præterea eam de se post obitum reliquit
nominis existimationem atque famam,
ut nemo nisi improbus audeat sanctissi-
mos eius manes turbare: boni omnes
memor

D. VVOLFGANGI MEVRERI.

memoriam optimi viri conseruent, tueantur, venerentur. Hanc amplificabunt monumenta ingenij, quæ hactenus bibliothecis discipulorū & scrinijs hæredum clausa, deinceps in publicum edentur tam in philosophia, quam medicina, solidæ eruditionis & singularis perspicuitatis laudem autori apud posteritatem conciliatura. Nostræ verò Academiæ & defunctis liberis optandum fuerat, licuisse ei nobiscum viuere diutius, cuius opera priuatim & publicè multis potuisset esse fructuosa.

Sed quoniam ita æterno Deo visum fuit: par est nos quoque in clementissima illius voluntate acquiescere, & perpetua animi gratitudine M EVRERI merita celebrare, eiusque virtutes imitari, ac Deum rogare, vt in illius aliorumque præstantissimorum virorum morte nobis ereptorum locum idoneos successo,

VITA D. VVOLFGANGI MEVRERI.

res constituat, & Ecclesijs pacem, literis
ocium, Rebuspublicis tranquillitatem
concedat, donec in illam cœlestem Aca-
demiam congregati, vberem omnium
rerum cognitionem ex ipso sa-
cientiæ fonte hau-
riamus.



WV 1999

[70/98]

ULB Halle
001 915 363

3




Sb.

V3 17 ✓
Retro ✓



70

Farbkarte #13



VITA
CLARISSIMI
PHILOSOPHI ET ME-
DICI, Dn. VVOLFGANGI MEV-
RERI, COLLEGII MEDICI DE-
cani, & professoris publici in
Academia Lipsica

78.

Descripta
a

M. Bartholomæo VValthero.



LIPSIAE,
Excudebat Abraham Lamberg
ANNO M. D. LXXXVII.